

CONC. NAZ.
PROV. DIOC.
162
D
58.
BIB. NAZ. NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
162
D
58
NAPOLI

CONSTITVTIONES
EDITÆ
AB EMINENTISS., ET REVERENDISS. D.
D. VRBANO
CARD. SACCHETTO
Episcopo Viterbien., ac Tuscanen.
IN DIOECESANA
SYNODO.
Celebrata in Ecclesia Cathedrali Viterbien.
Dominica secunda post Pentecosten, & feria sequenti diebus nempe xxiv. & xxv. Maÿ anno Domini M.DC.XCIV.



ROMÆ, Ex Typographia Reu.Cam. Apost. M.DC.XCIV.
SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiss. P. Sac. Apost. Palatij Magist.

Sperellus Episcopus Interamnen. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Thomas Maria Ferrari Ord. Præd. Sac. Apost. Pal. Mag.

VRBANVS

Miseratione Diuina Sanctæ Mariæ in Vialata S. R. E. Diaconus Card.

SACCHETTVS

Episcopus Viterbien., & Tuscanen.

SYNODO DIOECESANÆ

Parochis cæterisquæ Ecclesiastici Ordinis nostræ Diœcesis dilectis, salutem.



Ltissimi in Terris Supremo consiliorum Interpreti, vestrarum animarum regimini statim ac Nos admouere placuit; sicut nihil solicitius, ità nihil efficacius in votis habuimus, quam præuium illud Nobis adesse lumen, quò militantis Ecclesiæ Præsules, tuto rectoque

tramite ad Deum vltimatum omnium finem ducuntur, & ducunt, in regendo enim, monendoque Populo, eam decet personam induere, quam Spiritus Sanctus ipse induendam Episcopo indicat, in Apocalypsi scribens per Ioannem ad Asiæ Episcopos eos Angelos nuncupat, cuius nuncupationis causam exquirens S. Dionysius Areopagita cap. 12. Cœlest. Hierarch. eam affert, quod videlicet Angelorum more participet Episcopus Sapientiam, & scientiam altiorem. Huiusmodi itaque Sanctissimi Theologi auctoritati insistentes ea nobis officia prestanda intelligimus, quæ

ad ſapientiam ſcientiamque Angelicam pertinent; Salutem etenim noſtram ab animarum Nobis commiſſarum ſalutari cura dependentem agnoſcentes, eodem tenore nobis, & illis prodeſſe ſtatuimus, ne ſub tutela noſtra conſtitutarum ouium negligentes curam, nos metipſos videremur neglexiſſe; Cum verò ea quæ tanto muneri incumbunt imbecilitas noſtra, non inquam explere, ſed vix attingere valeat, contremiſcunt artus, turbatur animus præ formidine poplites; Sed adeſt Clementiſſimus Deus, quem diligentibus omnia cooperantur in bonum Diuinæ adeſt auxilium gra-

tiæ, cuius non hoc tantummodo munus est, vt conatuum nostrorum successus comitando, & sustinendo perficiat, sed etiam vt preueniat, & ex longinquo disponat; Paulum verò ad Timoth. 2. 4. dicentem audimus Tu vero Vigilia. *Vigilare igitur nostrum est, fratres in Christo dilectissimi, ne aduersarius noster diabolus, quærens quem deuoret, nobis commissum gregem dilaceret. Quamobrem in Deo confidentes, qui misericordiarum suarum largus & benignus dispensator est, qui nullius verè in se fidentium vota irrita esse patitur, qui labentes erigit, & assurgere conantes iacere non sinit,*

Ex-

Explcto per Nos metipſos impoſito Nobis ab Eccleſiarū moderatore diuinò Spiritu, viſitationis munere, quaquæ potuimus ſollicitudine, & diligentia, luſtrato examinatoque, tam in Viterbien. & Tuſcanen. Ciuitatibus, quam in alijs Diæceſis noſtræ Vrbibus, Oppidis, & Parochijs Eccleſiaſtico Statu, nuper habita præcepta, Vobis in Chriſto fratribus, & in Paſtoris munerere ſubſtitutis in Synodali hoc volumine diuulgare decreuimus, & à vanis illis ac inutilibus nouitatibus quibus SS. Patres Præſulibus precipiunt recedendum recedentes, nihil Nos præcepturos contendi-

mus,

mus, nisi sicubi dæmonis calliditas, & mundi coruptela perniciosas animabus nouitates inuexerit.

Has nouis legibus resecare, excogitatisque remedijs occurrere, nemini mirum videri vel graue futurum credimus, cum ressecandas ratio suadeat, Iustitia præcipiat, animarum salus efflagitet, & quies bonumque publicum præstoletur. Quare Summ. Pontifices docuerunt -- Non debere reprehensibile iudicari si secundum varietatem temporum, statuta quandoque varientur humana, præsertim cum vrgens necessitas, vel euidens vtilitas id exposcit. Quoniam ipse Deus ex his quæ in veteri

Te-

Testamento statuerat nonnulla mutauit in nouo, vt in cap. non debet de consanguinit. & affinit:

Per Synodales Constitutiones, excessus, si qui sunt, corriguntur, dissoluti mores reformantur, animus virtutibus instruitur, & fidelium corda diuino æstuantur amore iuxta Lateranense Concilium in cap. sicut Olim de accusationibus.

Quæ ideo per infinitam Dei Misericordiam vobis obseruanda proponimus, ita amplectenda speramus, Deum ità precamur, & vos exhortamur, nam recta via sunt per quam ad Cœlestia Regna peragrare debetis, Quemadmodum enim Ec-

clesiastes testatur, verba quæ per Pastorum consilium audiuntur à Pastore vno Deo data sunt. Audite ea libenter Dilectissimi, vt cœlestibus instructi disciplinis, omnique benedictionis abundantia, quam vobis ex corde impartimur, repleti, optatum finem feliciter tandem attingatis.

INDEX

INDEX
CAPITVM

De

INDICTIO SYNODI

Diœcesanæ

VRBANVS

Miseratione Diuina Sanctæ Mariæ in Vialata S.R.E. Diaconus Card. Sacchettus Episcopus Viterbien. & Tuscanen.

Vniuersis, & singulis Christi fidelibus Ciuitatum, & Diœcesis nostræ gratiam, & salutem in Domino sempiternam.

QVod olim Sacræ Tabulæ Ioelis voce præcipiebant, Vocate Cœtum, Sanctificate Ecclesiam, Coadunate Senes, hoc Ioel.c.2.

a 2 *quanto*

quanto ſanctius, tanto perfectius adimplens Catholica Eccleſia Mater noſtra per Apoſtolicam Sedem Eccleſiarum omnium magiſtram ſanctiſſimis legibus ſanciuit Synodales conuentus eſſe cogendos, & in ijs ea ſolerti, ac matura moderatione decernenda, quæ & labentem Eccleſiaſticam diſciplinam erigere, quæque vigentem confirmare, ac militantem Hieruſalem, ſine macula, & ſine ruga Cæleſti quam ſimillimam reddere, ac repræſentare apud mortales poſſint.

Cum

Cum enim humana ingenia, quousque corruptibile hoc induerit incorruptionem ingenito pondere ad praua deflectant, & vitia in humana corrupta natura, quasi in terra spinas, ac tribulos germinante frequenter innascantur, animarum Pastoribus ea prorsus euellere, atque extirpare, est etiam frequenter satagendum. Quod profectò nonnisi per Synodalia comitia, quibus deperdita requirantur, abiecta reducantur, confracta alligentur, infirma consolidentur, pinguia, & Ezech. cap. 34.

 fortia

fortia custodiantur, expleri melius rectiusque potest.

Et quamuis per Synodales Constitutiones à nostris Prædecessoribus Episcopis editas, tum ad morum correctionem, tùm ad Diuinum Cultum amplificandum penè omnibus consultum videatur, quia tamen ex rerum humanarum vicissitudine, recisa iterùm repullulant, & non benè euulsa reuiuiscunt, vrget semper vigilandi, & insudandi necessitas, nè dilectam hanc nostræ Diæcesis Vineam, quem pretioso suo

San-

Sanguine irrigatam humani generis Reparator Nobis locauit, aper de ſylua exterminare præſumat, & ſingularis ferus depaſcat eam.

Huiuſmodi intuitu, & ad noſtræ Paſtoralis ſollicitudinis partes Sacri Concilij Tridentini iuſſis obtemperando adimplendas, Diæceſanam Synodum iam pridem à Nobis expetitam conuocare ſtatuimus; illamque Deo adiuuante ad primam Dominicam Maij præſentis anni indicimus celebrandam.

Interim verò Vos Eccle-

siarum Cathedralium Venerabiles Fratres nostri Canonici, cæterique Ecclesiastici nostræ Diæcesis Ordines, in sortem, & hæreditatem Domini adscripti, animum, & corda sursum erigite, Diuinum illum Paraclytum consolationis, & gaudij humiliter inuocantes, vt veniat in Nos Spiritus Sapientiæ, & intellectus, Spiritus Consilij, & Fortitudinis, Spiritus Scientiæ, & Pietatis, quo
Is. c. 11. *timidæ cogitationes, & incertæ prouidentiæ nostræ roborentur, vt ea inuestigemus,*

ac dignoſcamus , quibus per omnia Diuinæ complacentes Bonitati , eidem in omnibus conformemur. Huc vota noſtra, huc preces tendant, dilectiſſimi in Chriſto Fratres, & Filij, vt det Nobis Dominus ſedium ſuarum aſſiſtricem ſapientiam, quæ in miniſterio tàm præcipuo nobiſcum ſit, & nobiſcum laboret. Sap.c.9.

Præſenti denique Noſtro Edicto, monemus in Domino, & ſub pœnis à Sacris Canonibus conſtitutis, alijſque ad arbitrium noſtrum in-

fligen-

ſtigendis , in virtute Sanctæ Obedientiæ iubemus omnes Dignitates, Canonicos, Priores, Abbates, Rectores, & cunctos in noſtra Diœceſi beneficia cum Cura, vel ſine, & quocunque titulo obtinentes cæteroſque, qui de iure aut conſuetudine, ac præſertim ex Sacri Concilij Tridentini, & fæl. rec. Gregorij XV. de exemptorum Priuilegijs Conſtitutionibus intereſſe debent, vt præſtituto die ſummo mane in Noſtram S. Laurentij Viterbienſem Cathedralem perſonaliter, & cum congruo, de-

centi-

centique habitu conueniant, nec inde nisi legitima obtenta licentia præsumat sub eisdem pœnis abscedere.

Volumus autem, vt hæc Synodi indictio valuis prædictæ Cathedralis affixa, perinde omnes, & singulos interesse debentes afficiat, ac si fuisset singulis personaliter intimata. Datum Viterbij apud Sanctum Laurentium Kalendis Februarij 1689.

Vrbanus Card. Sacchettus.

Ioannes Ceremba Canc. Episc.

Fuit

Fuit deinde pluries prorogata, & demùm ad Dominicam secundam post Pentecosten.mensis Maij 1693.



IN-

In Nomine Sanctissimæ, & Indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

NOS VRBANVS

MISERATIONE DIVINA
Sanctæ Mariæ in Via lata S. R. E. Diaconus Cardinalis Sacchettus Episcopus Viterbien, & Tuscanen.

Constitutiones, & Decreta infrascripta in præsenti nostra Diœcesana Synodo statuimus, & promulgamus.

CAPVT PRIMVM.
De Fide Catholica.



N quibuslibet Ecclesiæ ordinibus curãdum est, vt Fides Catholica integra, & inuiolata seruetur, atque ab illis prę cipuè quibus alios docendi munus iniungitur.

Omnes itaquè de beneficijs curam animarum habentibus, vel de Canonicatibus in Ecclesijs Collegiatis prouisi infra duos menses à die possessionis adeptæ in manibus nostris, seu Vicarij nostri Generalis eiusdem Fidei professionem præstare non omittant. Prouisi verò de Canonicatibus, vel Dignitatibus in Ecclesijs Cathedralibus, non solùm coram Nobis, seu Vicario nostro, sed etiam in Capitulo hoc idem efficiant. Alioquin prædicti omnes non faciant fructus suos nec illis suscepta possessio suffragetur.

Vt autem de his, qui Fidei professionem emiserint constare possit, ad Cancellarium Curiæ nostræ spectabit referre singillatim nomen, cognomen, & patriam Profitentis, diemquè, & annum professionis in librum ad hunc vsum comparatum, & in Archiuio asseruandum.

Nemo Theologiam, Canonicam, vel Ciuilem censuram, Medicinam, Philosophiam, Mathematicã, Grammaticam, vel alias scientias, seu liberales artes, publicè, vel priuatim docendi, & declarandi, vel in facultatibus huiusmodi lectiones habendi, etiam gratis sibi munus assumat, nisi priùs Fidem sub eadem forma apud Vicarium Nostrum profiteatur. Vicarij autem Foranei, & Parochi contrarium præsumentibus, docendi, seu legendi potestatem omninò interdicant. Si verò obedire renuerint eorum Nobis contumaciam denunciēt.

CAPVT II.

De Prædicatione Verbi Dei.

NE Diuini Verbi prædicatio in vacuum effundatur, sciant Fi-

deles omnes, quemadmodum corpus materiali, sic animam spirituali hoc cibo nutriri. Et Diuus Augustinus eandem Nobis curam habendam asseruit, ne quid de Verbo Dei, è corde nostro pereat, quam adhibemus, ne quid de Sanctissima Eucharistia de manibus cadat. Sint itaquè omnes tùm Viri; tùm Mulieres quibuscumquè postpositis negotijs ad Conciones audiendas frequentes, ac deuotè, attentè, & in suarum fructum animarum Diuinum sermonem excipiant.

Non parùm ad modestiam conducit, vt iuxtà antiquissimum Ecclesiæ ritum Mulieres seorsum à Masculis in Ecclesia collocentur: Quamobrem ita sedilia disponantur; vt tela, vel asseribus interpositis, altera ad alteram partem nequeat habere prospectum.

Concionatores autem sæpiùs animo

mo reputent altiſſimam proprij muneris vocationem, vt ita rectè tractantes Verbum veritatis, non ſemetipſos, ſed Chriſtum Crucifixum prædicantes, in omnibus ſe exhibeant eiuſdem Chriſti Miniſtros, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Vitia omnia generatim reprehendant, eaquè præſertim, quæ ex Parochorum relatione frequentiora, & manifeſtiora eſſe nouerint in locis vbi concionantur. Caueant autem, ne aliquem nominatim carpant, vel ita verbis deſcribant, vt, de quo loquantur, populus poſſit facilè aduertere. Omnia demùm ſollicitè attendant, quæ circa prædicationis Officium à Sacris Oecumenicis Concilijs ſancita fuerunt.

Ne ex eo, quod ſtatis anni temporibus Concionatores per Eccleſias deputentur, exiſtiment Parochi proprio

ſe

ſe prædicandi onere ſolutos. Diebus itaquè Dominicis, & feſtis ſolemnibus plebes ſibi commiſſas pro ſua, & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis docendo, quæ Fidei myſteria ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, & vitia, quæ eos declinare, & virtutes quas ſectari oporteat.

Nemo tamen qui non ſit Parochus, munus prædicandi aggrediatur, niſi præcedente approbatione, & licentia à Nobis, vel noſtro Vicario generali concedenda.

CAPVT III.

De Blaſphemis.

DEteſtabile blaſphemiarum crimen à noſtris Ciuitatibus, & Diœceſi eliminare cupientes, contra eos, quos in Deum, vel in Sanctiſsimam

mam Virginem Matrem conuicia, & maledicta non pudet euomere, illas statuimus pœnas, vt si fuerint Clerici de hoc crimine conuicti, prima vice, beneficiorum quæ habuerint, vnius anni fructibus careant: secunda vice beneficia ipsa amittant: tertia ad alia obtinēda inhabiles sint. Quod si beneficia non habeant Ecclesiastica, pœnam pro prima vice scutorum quinquaginta, vel aliam congruam corporalem luant: secunda vice in carceribus per annum detineantur: tertia degradatos verbaliter ad triremium seruitium nouerint damnandos.

Laycos autem blasphemos in ducatis vigintiquinque prima vice; secunda duplo mulctabimus; tertia autem quadruplo, & ignominiosa pœna affectos in exilium pellemus; Quod si soluendo non erunt, pro prima vice

ma-

manibus post tergum ligatis ante fores Ecclesiæ per integrum diem constituentur : pro secunda fustigabuntur per Vrbem, seu Oppidum : pro tertia lingua eis perforata ad triremiũ seruitium eos Curia nostra damnabit. Si verò blasphemia in alios Sanctos emissa fuerit, considerata blasphemiæ ipsius, & personæ qualitate seuerissimæ vltioni subijcientur.

Porrò si blasphema prolata verba, hæreticam sapient prauitatem, contra ipsos tanquam de hæresi suspectos formandum erit iudicium, & pœnis, ac censuris in similes suspectos inflictis plecti debebunt. Et ideò qui blasphemorum huiusmodi notitiam habuerint, si Curiæ nostræ patefecerint concessam à Leone X. annorum decem indulgentiam se consecuturos nouerint; sin minus, donec detulerint communione priuabuntur.

Vt ſceleri tàm execrando aditus omninò intercludatur enixè in Domino eos omnes qui alios ſub poteſtate habent, Dominos ſcilicet, Mercatores, Opifices, & huiuſmodi monemus, & hortamur, vt famulos, & eos quorum opera in officinis vtuntur quoſuè quacumquè ratione ſub poteſtate habent, ſi in crimen huiuſmodi propenſos cognouerint; blaſpemandi amputent occaſionem; corrigant, & ſi correctio nihil profecerit dimittant, & penitùs eijciant.

CAPVT IV.

De Sacris Reliquijs, & Imaginibus.

SAnctorum Reliquijs vt debitus cultus adhibeatur, in poſterum vllas nouas Reliquias, quamuis alibi

fuerint approbatæ, publicæ venerationi prohibemus exponi; nisi iuxtà Sacri Concilij Tridentini decretum, priùs à Nobis, vel Vicario Generali nostro recognitæ, atque approbatæ fuerint.

Caueant Parochi, cæterique Sacerdotes, & Clerici, nè quauis occasione, aut prætextu, etiam infirmitatis absque Nostra, vel nostri Vicarij Generalis licentia, Sanctorum Reliquias ad alicuius Domum deferant.

Ex Armarijs, Thecis, aut vasculis, in quibus reconditæ existunt, nemo sine nostra licentia sacras Reliquias, aut earum quantumuis minimam partem extrahere, vel sibi attribuere, seu alijs donare præsumat sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda.

Sacræ Imagines iuxtà Oecumenici Tridentini Concilij statutum, ita essin-

fingantur, vt ex earum inſpectione erudiatur, & confirmetur populus in articulis fidei commemorandis, admoneatur de beneficijs, & muneribus à Christo ſibi collatis, atque ad Sanctorum vitam imitandam alliciatur. Vtquè decor, & veneratio Imaginum illibata cuſtodiatur; & creſcat, nouas Imagines in Eccleſijs venerandas exponi prohibemus; abſque noſtra, vel Vicarij Generalis noſtri licentia, nullatenus concedenda, niſi priùs benedicantur. Benedicendas verò vetamus, non ſolùm eas, quæ pietatem, & maieſtatem non redolent, ſed quæ procaci, & prophana vetuſtate vanitatem præſeferunt. Et nedum in Eccleſijs, ſed etiam in illarum atrijs, & porticibus, ex cauſa ornatus, vel occaſione Feſti exponi prohibemus picturas prophanas, indecoras, ridiculas, ſeu laſciuas, quarum proſpectus

deuotionem extinguit, ad risum commouet, & ad malum allicit sub pœna duorum aureorum, & amissionis rerum sic expositarum.

Quamnis ad pietatem augendam Fidelium, mos in Rempublicam Christianam induxerit; vt aliquando scænico apparatu Domini Nostri Iesu Christi Passio, vel Sanctorum martyria, & actiones repræsententur; quoniam sepè ad risum, offensionem, ac despectum Auditores, seu Spectatores solent excitare, nè de cætero repræsentationes, & actiones huiusmodi in Ecclesijs, vel extra illas habeantur, inhibemus.

CA-

CAPVT V.

De Obseruatione Festorum dierum.

CVM ex neglecta Festorum dierum obseruatione diminuatur cultus Diuinus, certiores fiant Fideles omnes nostrarum Ciuitatum, ac Diœcesis cunctis diebus præceptis Deo, & Sanctis eius ab Ecclesia laudabiliter consecratis à seruilibus operibus fore abstinendum; præter quam si qua necessitas vrgeat de Nostra, vel nostri Vicarii Generalis licentia.

Mercatus singulis hebdomadis fieri soliti in diem Festum de præcepto incidentes, præcedenter habeantur.

Officinæ, atque Apothecæ quorumcumque Mercatorum, & Artificum diebus festis claudantur, ostiolo dumtaxat pro eorum comoditate

adaper-

adaperto. Nec quiſpiam vendere præſumat; comeſtibilibus, & medicamentis dumtaxat exceptis. Horis autem prædicationis in Quadrageſima, & Aduentu penitùs claudantur.

Agaſones, & Baiuli Sarcinas diebus prædictis non componant, neque cum illis vltro citroque commeent, Iumenta non onerent, nec cum mercibus iter ſuſcipiant ſub pœna ſcutornm decem. Antea verò ſuſceptum aliundè venientes proſequi poſſint.

Mimi, Hiſtriones, Circulatores, & alij id genus non valeant exercere ſuas artes, vel populum quoquomodo congregare, reſque venales exponere etiam ſub prætextu medicamentorum, non ſolùm diebus feſtis, ſed etiam toto Quadrageſimali tempore ſine Noſtra, vel noſtri Vicarij Generalis licentia ſub pœna ſcutorum decem.

Dies

Dies Festi obseruandi de præcepto.

IANVARIVS.

1 Festum Circumcisionis Domini Nostri IESV Christi.

2 Epiphaniæ eiusdem.

FEBRVARIVS.

2 Purificationis Beatæ MARIÆ Virginis.

24 S. Matthiæ Apostoli, & 25. anno Bissextili.

MARTIVS.

19 S. Ioseph Confessoris.

25 Annunciationis Beatę MARIÆ Virginis.

MAIVS.

1 Sanctorum Philippi, & Iacobi Apostolorum.

3 Inuentionis Sanctæ Crucis.

I V N I V S.

24 Natiuitas S. Ioannis Baptistæ.
29 SS. Petri, & Pauli Apostolorum.

I V L I V S.

25 S. Iacobi Apostoli.
26 S. Annæ Matris Beatæ MARIÆ Virginis.

A V G V S T V S.

10 S. Laurentij Martyris.
15 Assumptionis Beatæ MARIÆ Virginis.
25 S. Bartholomæi Apostoli.

S E P T E M B E R.

8 Natiuitatis Beatæ MARIÆ Virginis.
21 S. Matthæi Apostoli.
29 Dedicationis S. Michaelis Arch.

OCTO-

OCTOBER.

28 SS. Simonis, & Iudæ Apoſtolorum.

NOVEMBER.

1 Omnium Sanctorum.
30 S. Andreæ Apoſtoli.

DECEMBER.

21 S. Thomæ Apoſtoli.
25 Natiuitatis Domini Noſtri IESV Chriſti.
26 S. Stephani.
27 S. Ioannis Apoſtoli, & Euangeliſtæ.
28 SS. Innocentium.
31 S. Sylueſtri Papæ, & Confeſſoris.

Præter hæc feſta Sanctorum Patronorum locorum Diœceſis in ipſis locis.

Dominicæ omnes per annum.

Paschatis Resurrectionis Domini Nostri IESV Christi, cum duobus sequentibus diebus.

Ascensionis eiusdem.

Pentecostes cum duobus sequentibus.

Corporis Christi.

CAPVT VI.

De obseruatione ieiuniorum.

CVM salutaris abstinentia carnis infirmitati medeatur, & egregiè conferat incremento virtutum, sanctè decet ab omnibus custodiri. Vniuersos igitur Fideles curæ nostræ concreditos monemus, vt ieiunia omnia, quæ Sancta Romana Ecclesia obseruari præcepit, exactè obseruent à carnibus præcipue cibisque alijs ieiunio-

niorum tempore prohibitis per totam Quadragesimam, & quatuor anni tempora, pariterquè dierum festorum vigilias inuiolabiliter abstinendo.

Qua de causa Caupones, Tabernarij, & alij id genus non audeant apponere comedentibus cibos, qui Quadragesimæ, ac diebus ieiunij non congruant sub pœna scutorum vigintiquinque, tàm à præbentibus huiusmodi prohibitas epulas, quàm à recipientibus incurrenda.

Parochi verò Vigilias, & quatuor anni tempora præcedentibus diebus Dominicis inter Missę celebrationem populo diligenter notificent; Simul denunciando grauem obligationem omnibus à carne, alijsquè vetitis cibis abstinendi; Egressis autem vigesimū primum ætatis annum, nulla legitima causa impediente etiam ieiunandi, itaut nonnisi semel in die circa meri-

diem comedant, nec aliam deindè refectionem præterquam ſerotinam, ac parcam capiant.

Dies Ieiuniorum.

Quadrageſimæ ſinguli dies, exceptis Dominicis.
Quatuor tempora totius anni.
Vigilia Pentecoſtes.
Vigilia Sancti Matthiæ 23. Februarij, & 24. in anno biſſextili.
Vigilia Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ 23. Iunij.
Vigilia SS. Petri, & Pauli 28. Iunij.
Vigilia S. Iacobi 24. Iulij.
Vigilia Sancti Laurentij Martyris 9. Auguſti.
Vigilia Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis 14. Auguſti.
Vigilia Sancti Bartholomæi Apoſtoli 24. Auguſti.

Vi-

Vigilia S. Matthæi Apoſtoli 20. Septembris.

Vigilia SS. Simonis, & Iudæ Apoſtolorum 27. Octobris.

Vigilia Omnium Sanctorum 31. Octobris.

Vigilia S. Andreæ Apoſtoli 29. Nouembris.

Vigilia S. Thomæ Apoſtoli 20. Decembris.

Vigilia Natiuitatis Domini Noſtri Ieſu Chriſti 24. Decembris.

CAPVT VII.

De Sacramento Baptiſmi.

QVia Sacramentum Baptiſmi in caſibus neceſſitatis plerunque adminiſtratur à Fœminis, quę Puerperis obſtetricantur; & aliquando compertum eſt Obſtetrices iſtas eſſen-

essentialem formam baptismi haud rectè callere; idcircò Parochis omnibus præcipimus, vt eorum vnusquisquè Obstetrices in sua Parochia degentes semel in anno examinent, an baptismi formam, aliaquè necessaria ad baptizandum benè didicerint, & memoriæ retineant. Repertæ autem ea ignorare, vel in essentialibus errare, accuratè & patienter à proprijs Parochis edoceantur.

Peracto baptismo, Parochi moneant Obstetricem, vt parentibus denunciet, ne ipsi, aut Nutrix, aut alius quicumque infantem ante expletum annum in lecto retineant sine repagulo sub reatu peccati Nobis reseruati, & secuta suffocatione sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ Nobis pariter reseruatæ.

Et quia experientia compertum est, quod libri defunctorum Parochorum,

rum,in quibus baptizatorum,eorumquè parentum, ac patrinorum nomina, & dies, & annus collati baptiſmi iuxtà formulam Ritualis Romani deſcribuntur, non extant apud omnes modernos Parochos, propterea vt malis, quæ ex tali librorum iactura euenire ſolent, occurramus, diſtrictè præcipimus ſub pœna trium aureorum, vt omnes Parochi, alijquè Sacerdotes eorum munere fungentes, quotannis circa Natiuitatem Domini exemplum authenticum baptizatorum eo anno ex ſuo quiſque libro deſumptum ad Vicarium Generalem tranſmittant, qui illud in Cancellaria noſtra reponi, & diligenter cuſtodiri curabit. Et in caſu quo originales libri deperdi contigerit, Cancellarius noſter cum licentia Vicarij Generalis integrum libri deperditi tranſumptum Parocho id poſtulanti,

con-

congrua laboris mercede accepta dare teneatur. Non licet autem Cancellario fidem vllam ex prædicto exẽplo extrahere, nec alicui tradere ſine conſenſu Parochi.

CAPVT VIII.

De Sacramento Confirmationis.

PArochi aliquo die feſto, qui huius Sacramenti adminiſtrationem præcedat, edictum noſtrum promulgent, eiuſdemque Sacramenti præſtantiam, & ſalutares effectus populum ſuum edoceant, vt confirmandi, ad illud deuotè ſuſcipiendum præparentur, qui ſi mortalis culpæ ſe ſenſerint obnoxios, ne plenitudini gratiæ obicem ponãt peccata ſua confiteantur.

In-

Instruant etiam populum, hoc Sa-
cramentum imprimens in anima ca-
racterem indelebilem iterari non pos-
se, ideoque caueant omnes qui se con-
firmatos sciunt ad hoc Sacramentum
denuo accedere, ne præter graue pec-
catum seueram pariter incurrant pæ-
nam arbitrio nostro irrogandam.

Parentes filios suos non nisi septi-
mum ætatis annum excedentes ad
Sacramentum hoc suscipiendum in-
ducant, vt illi huius susceptionis ali-
qualem cognitionem, & in ætate per-
fectiori reminiscentiam habeant.

Quibus prohibuimus de baptismi
fonte leuare, prohibemus etiam con-
firmandos tenere.

Vnus tantum qui sit confirmatus,
vnum teneat, vel ad summum eodem
die duos, Tres autem absque nostra
speciali licentia tenere non præsu-
mat.

Post susceptum confirmationis Sacramentum nullus discedat à Templo, sed omnes intersint benedictioni, quam Nos in fine administrationis largiemur.

CAPVT IX.

De Sanctissimo Eucaristiæ Sacramento.

IN omnibus Ecclesijs Parochialibus, quamuis pauperibus asseruandam esse Sanctissimam Eucharistiam statuit Sacra Concilij Congregatio. Mandamus idcircò, vt in omnibus Ecclesijs Curatis, etiam ruralibus, prædicta resolutio executioni demandetur, & vt facilius atque honorificentius id per Parochum peragatur, Sanctissimi Sacramenti sodali-

as, vbi non adeſt quam primum inſtituatur.

In planitie Tabernaculi, vbi Sanctiſſimum Sacramentum aſſeruatur, corporale mundum expanſum permaneat, ac ſuper eo duæ pyxides argenteæ interius auro illitæ, & orbiculatæ cum ſuis cooperculis collocatæ ſint. In harum vna, nempe maiori, quæ conopeolo, ſeu velo ſerico coloris tempori congruentis contegatur, conſeruentur ſemper Sacræ particulæ; hyemali tempore ſingulis quindecim; æſtiuo autem octo diebus mutandæ; In altera verò pyxide minori nullæ Sacræ hoſtiæ, ſeu particulæ aſſeruentur, ſed in ea tum collocentur, cum ad infirmos Sanctiſſimum hoc Sacramentum erit deferendum.

Caueant Parochi, ne quoſuis indiſcriminatim ad Sacram Communionis menſam admittant, omninò ex-

cludentes publicè excommunicatos, Concubinarios, meretrices, blaſphemos, maleficos, vſurarios publicos, itemque publicè criminoſos; eos præterea qui in odio proximi cum ſcandalo perſeuerant: necnon Coniuges cohabitare ſine cauſa legitima nolentes, niſi prius hi omnes certum pænitentię cum vitę emendatione ſignum dederint.

Qui tempore Paſchali corpus Dominicum extra Parochiam ſumpſerint, Eccleſiæ præcepto non ſatisfaciunt. Quod ſi quis à Parochia eo tempore abſuerit, intra octo dies poſt reditum in eadem communicari, ſub pænis contra non communicantes ſancitis, teneantur, niſi præcepti in alia Eccleſia adimpleti atteſtationem attulerit; cui an fides ſit adhibenda, nec nè, Parochus penſatis perſonarum qualitatibus, pro prudentia ſua atque conſcientia iudicabit. Cle-

Clerici in ſortem, & hæreditatem Domini vocati, & ad Altaris miniſterium deſtinati, quantumuis in minoribus ordinibus conſtituti, tertia Dominica cuiuslibet menſis in Eccleſia Matrice ad Sacram hanc menſam ſimul accedant; quod niſi huic præcepto authentica atteſtatione paruiſſe probauerint, nouerint ſe ad ordines Superiores non aſcenſuros. Cum verò Diaconos, & Subdiaconos etiam ſingulis diebus Dominicis, & ſolemnibus, in quibus Altari miniſtrauerint Sacram Communionem percipere maximè deceat, ideo Sacræ Tridentinæ Synodi ſuaſionibus inhærentes, eos, vt id ipſum præſtent enixè in Domino cohortamur. Sacerdotes autem omnes etiam ſi curam animarum non habeant præbentes tamen ſe exemplar bonorum operum ſaltem ſingulis Dominicis, &

Fe-

Feſtis ſolemnibus Miſſas celebrent.

Pueri in congruenti ætate conſtituti ad hoc Sacramentum prima vice admittendi, prius examinentur à Parocho de rudimentis Fidei, quæ quilibet ſcire tenetur, ac deinde quid de Sanctiſſimo hoc Sacramento ſentire, & credere debeant, ſæpe ſæpius edoceant, ipſiuſque excellentiam efficaciam, ac dignitatem: Et quod in illo verum Corpus Domini noſtri realiter, & ſubſtantialiter maneat cum accidentibus panis vnitum: eius verò ſanguis anima, & diuinitas concomitanter contineatur. Eos pariter orationibus, pijſque precibus ante, & poſt communionem recitandis erudiant, & vbi idoneos compererint, in Paſchate ad Sacram Communionem omnes ſimul ſeparatim ab alijs admittant, & peracta communione, ac gratiarum actione deuota ad eoſdem

exor-

rtatione, vel per ſe, vel per alium
erdotem pium habita dimittant.
autem, quos minus idoneos inue-
int in prouectiorem ætatem, nun-
am tamen vltra decimum quar-
n ætatis annum, communionem
ferant. Quod ſi qui etiam in hac
te propter ingenij tarditatem in-
aces adhuc videbuntur, de hoc
carium noſtrum generalem admo-
unt.

CAPVT X.

De Sacrificio Miſſæ.

Ncruentum Miſſæ Sacrificium,
tùm propter Inſtitutoris Maie-
em, qui fuit Dominus Noſter Ie-
Chriſtus Sacerdos Magnus ſe-
ndum ordinem Melchiſedech;
tùm

tùm propter Sacrificij excellentiam in quo verum Corpus, & verus Sanguis Immaculati Agni Domini Nostri Iesu Christi pro nobis in ara Crucis immolati offertur, maximo cum timore, ac tremore à Sacerdotibus celebrandum est, quibus etiam huius panis cælestis dispensatio committitur, vt sumant, & dent cæteris.

Et quoniam multa de Missæ celebratione à Sacris Canonibus sunt statuta; idcirco Nos eorundem executioni pro Pastorali Zelo intenti, Sacerdotes omnes qui hoc Augustissimum tremendumque Misterium omnipotenti Deo offerre debuit, seriò monemus, vt si mortalis culpæ sint conscij, per Sacramentalem confessionem si ipsos probent, ne anima pollura, manibusque contaminatis Hostiam puram, & immaculatam

con-

ontrectare præſumant , iudicium-
ue ſibi manducent. Immò eoſdem
acerdotes, quos puriſſimos eſſe, &
mni labe carere oportet, obteſtamur
ı Domino, vt quam ſæpiſſimè pecca-
ı ſua licet venialia confiteantur.

Iniungimus etiam omnibus,& ma-
imè Sacerdotibus Sacras veſtes in-
utis,vt in Sacrario ſilentium ſeruent
ıaximamque modeſtiam, abſintque
lamores, confabulationes, deambu-
ıtiones quæcumque, nec alij ſermo-
es habeantur quam quos Sacri Mi-
iſterij neceſſitas poſtulauerit.

Quanta verò adhibenda ſit cura
t Auguſtiſſimum hoc Sacrificium
mni veneratione, ac reuerentia ce-
:bretur, facile intelliget Sacerdos, ſi
:riò conſideret nullum opus ſanitius,
: diuinius à Chriſti cultoribus tra-
:ari poſſe quam hoc ipſum tremen-
um miſterium. In actu igitur cele-

brandi tribus potiſſimum actibus Sacerdotes prorsùs incumbant, nempe reuerentiæ, attentioni, ac deuotioni. Omnes motus exteriores ex reuerentia componantur, vt modeſtè grauiterque fiant, præſcriptis ceremonijs exactiſſime ſeruatis, ſummaque adhibita humilitate quæ omnino neceſſaria eſt Hoſtiam Immaculatam offerenti in conſpectu Dei, & Angelorum. Mens per attentionem coerceatur, & ijs, quæ aguntur, affigatur, ne ad alia defluat, & euagatur. Voluntas per deuotionem inflammetur, nè languidè, & ex conſuetudine tam Sacra Miſteria pertractet; ſed cum ingenti feruore ſolertique ſtudio Deum placandi, & colendi.

A nimia breuitate in celebratione Miſſæ Sacerdotes caueant, neque ità in legendo, ac in alijs cæremonijs tàm feſtinanter ſe gerant, vt aliquam quam-

ıamuis minimam indecentiam, aut
uitatis notam incurrant memores
emendæ illius ſententiæ: *Maledictus*
mo qui facit opus Dei negligenter: Quia
men non ſine Piorum mærore, Sa-
rdotes non pauci ob nimiam feſti-
tionem, ac ſignorum, actionumque
uolutionem indeuotè, irreueren-
r, & cum adſtantium ſcandalo ce-
ɔrant, iſtis præoculis ponimus pias
ſtaſque querimonias piæ memoriæ
oberti Cardinalis Bellarmini, qui
opuſculo de Arte bene moriendi
1. cap. 14. ità conqueritur: Vidi
piſſimè Clericos petulantes, gyro-
gis oculis ſic altari Dominico mi-
ſtrare ac ſi res ageretur non ſolum
n Sacro horrore plena, ſed vulga-
, & leuis. Et fortaſſe culpa tàm
uis non in ſolo miniſtro, ſed etiam
Sacerdote Sacrificium celebrante
æret; quippe qui aliquando ſic fe-

ſtinat, & ſic indeuotè ſe gerit, vt videatur neſcire quid agat. Audiant iſti quid Sanctus Ioannes Chriſoſtomus de tempore celebrationis Miſſæ loquatur. Per id tempus inquit in libro ſexto de Sacerdotio, & Angeli Sacerdoti aſſident, & cæleſtium Poteſtatum vniuerſus ordo clamores excitat, & locus Altari vicinus in illius honorem, qui immolatur Angelorum Choris plenus eſt. Id quod credere abundè licet, vel ex tanto illo Sacrificio quod tunc peragitur. Quæ ſi ſeriò cogitarent tum Presbyter celebrans, tum Clericus miniſtrans, quomodo fieri poſſet, vt rem tantam agerent, quomodo agunt? O quam triſte, & deplorandum ſpectaculum eſſet, ſi oculos mentis apertos haberemus videre Sacerdotem Diuina Myſteria tractantem, Angelorum Choris vndique ſeptum, qui ad ea quæ ipſe

ſe operatur obſtupeſcunt, ac tre-
unt, & præadmiratione clamores
irituales excitant, & tamen Sacer-
os in medio poſitus totus frigidus,
: quaſi ſtupidus non attendit quid
gat, non intelligit quid loquatur, &
à properat, & ſigna inuoluit, & ver-
a præcipitat vt videatur neſcire
uid agat: & interim Clericus mini-
er huc, atque illuc circumſpicit, aut
um aliquo garrit. Sic Deus irride-
ur? Sic res Sanctiſſimæ contemnun-
ur? Sic materia obloquendi hæreti-
is datur? Quæ cum ità ſint verbis
ſius Cardinalis Bellarmini Cleri-
os omnes maiores, & minores enixè
onemus, & hortamur, vt mundo
ortui, Deo ſoli viuant; rerum tem-
oralium copiam non affectent; in-
ocentiam magno zelo cuſtodiant, &
es diuinas religiosè, vt par eſt, tra-
tent, & ab alijs tractari procurent:
Sic

Sic magnam fiduciam ſibi apud Deum acquirent, & Eccleſiam Chriſti bono iugiter odore replebunt.

Omnis igitur Sacerdos propriam conſcientiam ſcrutetur, ac diligenter exquirat an cum debita reuerentia, attentione, ac deuotione celebret, & qui ſe Reum huiuſmodi defectum agnouerit omninò ſe ipſum emendare ſatagat; alioquin pænam ſuſpenſionis, ſi in notabili aliquo defectu, & nimiæ ſignanter feſtinationis depræhenſus fuerit ſubiturus.

Curabunt itidem Canonicus Sacriſta in Cathedrali Viterbien. & Canonicus Camerarius in Cathedrali Tuſcanen. ne Clerici Miſſis inſeruientes hoc munus indeuotè præſtent, tales petulantes, & indeuotos ab hoc ſeruitio arcendo. Idemque inuigilabunt ne Sacerdotes qui in celebrando rubricas non ſeruant, quiuè præcipitan-

er legunt, ac minùs deuotè se gerunt
d celebrandum admittantur. Id
ſum quantum fieri poterit præsta-
unt Archipresbyteri; & Priores in
ollegiatis, ac Vicarij Foranei, &
arochi in suis Ecclesijs per totam
iæcesim.

In festis solemnioribus, quæ Priora-
a nuncupantur, Missam Conuen-
alem is concinat qui primam obti-
t dignitatem. Quod si iusto deti-
atur impedimento, quo minus id
plere valeat ipsius vices absque
lo emolumento suppleat secunda
ignitas in Cathedralibus, in Eccle-
s verò Collegiatis Canonicus se-
ens in ordine. Dignitas autem
i Missam Conuentualem cantandi
us incumbit Missam planam per
vel per alium eadem die celebret,
ut satisfaciat oneri illius qui vices
celebrando supplet.

Sine

Sine habitu talari nullus Presbyter Missam celebret sub pæna suspensionis ipso facto incurrendæ, nisi per transitum in Ciuitate, vel aliquo Diæcesis Oppido permaneat.

CAPVT XI.

De Sacramento Pænitentiæ.

OMnes pænitentiæ Sacramentum vbicunque, & quandocunque administrantes, eius, cuius vicem gerunt, memores, talari veste induti, & operto capite sedentes, Iudicis personam grauiter sustineant.

Seclusis infirmitatis, aut necessitatis casibus, confessiones in priuatis Domibus non audiantur, sed in Ecclesijs apertis, nec alio quam diurno tempore, nec alibi, quam in Sede confessionali, cum super publico,

&

& Stola, in festiuis præcipuè diebus.

Quod si tulerit infirmitatis casus, vt extra Ecclesiam confessiones mulierum excipi oporteat, siue diù, siue noctu, Confessarius aperto cubiculi ostio, vt conspici quidem à domesticis, non tamen audiri valeat, hoc Sacramentum administret.

Ante solis ortum, & post eius occasum non audiantur mulierum confessiones in Ecclesijs, neque, ante Sedem confessionalem genuflexæ facie ad faciem mulieres admittantur, sed ex parte cratis minutatim perforatæ.

Caueat Confessarius, nè imprudentibus, & alienis à personarum conditione percunctationibus, pænitentibus præsertim pueris, & fæminis peccandi rationes, & vias antea ipsis fortasse incognitas suggerat; atque ità quæ enixè arcere debet peccata

incautè doceat; Ac præcipuè animaduertat ne nimis curiosè impudica inueſtigando ipſemet in laqueum, incidat tentationis.

Ante omnia id obſeruabit,ne dum hæc exequitur, vlla iræ, aut auerſionis indicia commonſtret, nec vllos geſtus faciat, quibus adſtantes conijcere quidpiam de confitentium peccatis poſſint; & obiurgationes, vel repræhenſiones, quas neceſſarias iudicauerit, ad finem confeſſionis differat, nè intempeſtiuo rigore deterriti pænitentes, quæ ſuper ſunt peccata, aperire vereantur, quin immò humaniter, quæ videbuntur, ſuggerendo fiduciam addat, vt remota omni verecundia, omnes animi ſinus liberè, & confidenter patefaciant.

Nemo à peccatis abſoluatur, qui odium,aut inimicitiam deponere,aut alienum reſtituere nolit, ſeu in ſtatu

pec-

peccati mortalis constitutus ipsum peccatum, vel proximam eius occasionem derelinquere non sit paratus.

Qui facultatem absoluendi à casibus reseruatis non habent, confessiones dimidiatas non excipiant, absoluendo dumtaxat à non reseruatis; sed statim atque casum aliquem reseruatum à pænitente audierint, eundem dimittant.

Ab omni Simoniæ labe mundos, ac puros se conseruare studeant Confessarij; ideoque nec expresse, nec tacitè, nec per verborum obscuritatem aliquid etiam minimum petant, vel recipiant. A pænitentijs pecuniarijs imponendis, quantùm fieri potest abstineant; & si aliquando pænitentis, seu criminis ratio requirat, vt tales imponantur, districtè prohibemus, ne sibi suisque, vel Ecclesiæ suæ eas

applicare aut iubeant, aut ſuadeant.

Confeſſarij tam Sæculares, quam Regulares, qui alicuius ægroti confeſſionem exceperint, atteſtationem de confeſſione peracta in ſcriptis relinquant proprio ægroti Parocho tradendam ſub pæna ſuſpenſionis ab adminiſtratione huius Sacramenti ipſo facto incurrenda.

Cum grauiſſimum ſit peccatum, tàm in Sede confeſſionali, quam extrà eam occaſione tamen confeſſionis, vel antè, ſiue poſt confeſſionem ad turpia, & inhoneſta pænitentes ſollicitare, ideò ad memoriam reducimus Conſtitutionem fæl. record. Gregorij XV. & Sacræ Inquiſitionis Decreta. In quorum executionem Confeſſarij ſeriò admoneant pænitentes de obligatione denunciandi huiuſmodi ſollecitantes. Denuncia-

re autem renuentibus absolutionem denegent, & nullatenus absoluant, nisi facta prius denunciatione.

CAPVT XII.

De Casibus Reseruatis.

NOn nulla grauiora crimina, quæ asperioribus pænitentijs plectenda sunt, vt à difficultate obtinendi absolutionem peccatorum grauitatem Fideles arguant, & ab illis perpetrandis retrahantur, iuxta laudabilem Ecclesiæ consuetudinem reseruare decreuimus. Nostra igitur ordinaria auctoritate sequentium peccatorum absolutionem Nobis specialiter, & expresse, præterquam in mortis articulo, reseruamus. Inhibentes omnibus, & singulis Sacerdotibus tàm Sæcularibus, quam Regularibus,

bus, aut alias quantumuis exemptis ad Sacramenti Pænitentiæ administrationem approbatis, vel in posterum approbandis, ne ab aliquo ex infrascriptis casibus absoluant, sub Censuris, & pænis per Apostolicas Constitutiones, & Sacræ Congregationis Decreta constitutis.

Casus autem Reseruati sunt.

I. Blasphemia in Deum, vel Beatam Virginem, vel Sanctos.

II. Sacramentorum, aut Sacramentalium, vel rerum Sacrarum abusus ad veneficia, superstitiones, aut alias magicas artes.

III. Percussiones in Patrem, vel Matrem inflictas.

IV. Homicidium voluntarium,

tàm

tàm quo ad occidentem, quàm quoad mandantem, vel opem, seù consilium dantem:

V. Procuratio abortus tùm opera, tum consilio etiam effectu non sequuto.

VI. Detinentes secum infantes in lecto sine arcula, vel repagulo, ante quam annum compleuerint. Si verò suffogauerint incurrant etiã excommunicationem Nobis vel Vicario nostro Generali reseruatam.

VII. Falsum Testimonium in Iudicio deponentes, ad idque inducentes.

VIII. Stuprum inuita Virgine.

IX. Incæstus in primo, vel secundo gradu consanguinitatis, vel affinitatis.

X. Con-

X. Concubitus inter habentes cognationem ſpiritualem.

XI. Sodomiam tam actiuè, quam paſſiuè committentes, etiã per vnicam vicem, tam maſculus cum maſculo, quam maſculus cum fæmina.

XII. Lenocinium Viri in Vxorem, Parentum in filias Fratruũ in Sorores.

XIII. Beſtialitas.

XIV. Cum Monialibus, vel cum alijs fæminis in Clauſura degentibus turpiter colloquentes, aut impudicos tactus habentes, vel amatorias litteras ad eas mittentes.

XV. Famoſum libellum conſcribentes, vel affigentes.

XVI. Ad tollendas rixas, quæ non

rarò exoriri possent ex Columbicidio illarum Columbarum quæ ad Columbaria se recipiunt hoc ipsum reseruamus.

Habentes copulam carnalem cum Confessario, vel committentes peccatum mortale cum eiusdem Confessarij associatione, vel participatione ab eodem non possint absolui.

CAPVT XIII.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

CÆlestis Medicus Christus Dominus semper pius, semper misericors, qui vt humanis calamitatibus subueniret, verè languores no-

ſtros ipſe pertulit, & dolores noſtros ipſe portauit, Extremæ Vnctionis Sacramentum inſtituit, tanquam cæleſtem medicinam animæ, & corpori ſalutarem periculosè ægrotantibus adhibendam, quo Sacramento peccatorum Reliquijs deletis, Fideles fiunt animoſiores contra diabolum luctatores, nè vel timore, vel deſperatione aut alia quauis Aduerſarij doloſa incuſſione animusin agone opprimatur.

Hortentur itaque Parochi ægrotos ſuæ Curæ concreditos cum eos in periculo vitæ verſari animaduertant vt Sacramentum iſtius Vnctionis ſibi conferri poſtulent, & de illius virtute, efficacia, & effectu eos inſtruant atque ad illud deuotè ſuſcipiendum inflamment.

Quamuis autem ad illud miniſtrandum expectandus ſit ſtatus, in

quo adeo periclitetur ægrotus, vt ab humanis medelis nihil, aut parum ſit ſpei ac proinde à Sacramento diuinitus inſtituto opportunè medicina petatur; omnimodò tamen damnanda eſt illorum conſuetudo qui tum demùm illud miniſtrant, dum ægrotus naturalibus viribus eſt deſtitutus. Conſtat enim plurimum valere ſi Sacro Oleo perungatur cum adhuc in eo integra mens, & ratio vigent, ad vberiores inde fructus capiendos. Si verò infirmum, vel morbi qualitate, vel aliquo improuiſo caſu, ſenſu, & vſu rationis carentem Parochus inueniat, eum nihilominus, dummodo viuat per vngere debet; quod ſi inter vngendum moriatur ab vlteriori Vnctione deſiſtat.

Meminerint Parochi, Sanctum iſtud Oleum ſingulis annis renouandum eſſe ea copia, vt toto anni tem-

pore sufficiat. Quod si frequentiori vsu, vel alio casu illud ità diminui infra annum contigerit, vt, ne omninò deficiat, prudenter timeri possit, & aliud benedictum haberi nequeat, oleum non benedictum, sed minori quantitate quo reparetur, super infundant.

CAPVT XIV.

De Sacramento Ordinis.

CLerici ad altiores ordines non promouebuntur nisi exhibita attestatione Dignitatis, vel Rectoris Ecclesiæ cui sunt adscripti de seruitio frequenti eidem Ecclesiæ præstito.

Vt fraudes quæ in Patrimonijs constituendis, ab ijs qui tenua Beneficia possident committi solent, ab

hac

hac noſtra Diæceſi arceamus huiuſmodi Patrimonia conſtituentes iurare in actis noſtræ Cancellariæ volumus, Conſtitutiones quas faciunt eſſe veras, & reales, nullamque inter ipſum, & ordinandum colluſionem intercedere; pænam inſuper excommunicationis ipſo facto incurrendæ contra peiurantes decernimus; quin etiam ipſis conſtituentibus ſub pæna centum ſcutorum Pijs Locis applicandorum prohibemus, ne deinceps bona ad hunc effectum donata, vel quomodocumque aſſignata ſub coloni Procuratoris, aut quouis alio nomine poſſideant.

Quia frequenter euenit, quod Clerici in minoribus, vel in Subdiaconatus, aut Diaconatus Ordinibus conſtituti ad Sacerdotalem gradum, quàm citius aſcendere cupientes litteras Apoſtolicas pro diſpenſatione

ætatis,

ætatis, vel collationis ordinum extra præſcripta tempora, Nobis inconſultis, obtinent, quas interdum iuſtis de cauſis exequi non decet; antedictos ideo Clericos monemus, ne in poſterum huiuſmodi litterarum, ſeu Breuium expeditioni incumbant; niſi Noſtro prius obtento beneplacito, quod ſi ſecus agere præſumpſerint; ſua ſpe, atque intentione fruſtrabuntur.

Ab alieno Epiſcopo cum noſtris Dimiſſorijs ordinati, ſpatio octo dierum poſt quam ad Ciuitatem, vel noſtram Diæceſim fuerint reuerſi litteras teſtimoniales ordinis ſibi collati exhibeant coram Vicario Generali noſtro quas per Cancellarium in libro ad hoc deſtinato regiſtrari mandamus Si quis autem id agere neglexerit, non permittatur illi exercitium ordinis ſuſcepti, donec prædi-

ctæ

ctæ litteræ præsentatæ, ac registratæ, vt supra iniunctum est, fuerint.

Exercizandi munus, nemo etiam si Parochus, vel Regularis sit, absque nostra licentia speciali exercere audeat, & qui licentiam huiusmodi obtinuerint, antequam præfatum præstent exercitium propriam conscientiam expiare, & obsessi non modo animæ, sed & corporis qualitates scrutari atque in ieiunijs, & Orationibus probare curent. Dictum porro exercitium non alibi quam in Ecclesia horis diurnis, necnon Ianuis apertis, & coram consanguineis alijsuè pietate præstantibus Viris tractare debebunt.

CAPVT XV.

De Sacramento Matrimonij.

PRæmiſſis tribus denunciationibus celebretur Matrimonium in Eccleſia Parochiali ſponſæ, vel ſponſi, non tamen ante ſolis ortum, vel poſt occaſum; nec vnquam extra Eccleſiam, niſi ex cauſa à Nobis vel Vicario noſtro Generali ſcriptis approbanda.

Eadem die qua poſtrema denunciatio facta fuerit nequaquam celebretur, ſed in proximam ad minùs protrahatur. Contra verò, nec tandiù differatur, vt nouum aliquod interim ſuboriatur impedimentum, ideoque ſi duobus menſibus elapſis Matrimonium celebratum non fuerit, expectandum vlterius erit donec

trinæ proclamationes, nisi aliter Nobis visum fuerit, iterùm repetantur.

Qui falsum aliquod impedimentum malitiosè detulerint quo futurum legitimè Matrimonium differre, aut peruertere possint, præter pænas falsi à legibus inflictas, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, eodemque anathematis gladio ij pariter feriantur, qui vera scientes impedimenta postquàm denunciationis in Ecclesia factas fuisse intellexerint, ea non reuelauerint, sed dolosè reticuerint.

Sponsos Parochus admoneat ne ad Matrimonium contrahendum accedant, nisi priùs peccata sua confessi sint, ac Sacra Communione refecti, vt ablato obice, vberrimos gratiæ fructus, qui in hoc Sacramento conferuntur recipiant.

Si quando iuſta cauſa Parochus cogetur alio Sacerdoti vices ſuas delegare, delegatio ſcripto appareat, ſcriptumque ſeruetur; & nihilominus Parochus delegans nomen ſponſorum, ac teſtium in ſuo libro deſcribat.

Ad extirpandum deteſtabilem abuſum ex frequenti ſponſorum conſuetudine irrepentem, qui ante Sacerdotalem Benedictionem, & ante contractum in facie Eccleſiæ Matrimonium, carnaliter ſe cognoſcunt enixe interdicimus nè ſponſi antequam Matrimonium per verba de præſenti ex ritu contraxerint, vllam ob cauſam, quantumùis honeſtam ſe inuicem vltrà tres vices inuiſant, aut alloquantur; quibus quidem vicibus, vt modeſtæ vrbanitatis officium explere poſſint, ad modicum tempus conuerſari permittimus, Parentibus tamen, aut duobus eorum conſan-

gui-

guineis ſemper præſentibus, & habita prius licentia Parochi cuius in hoc conſcientiam diſtrictè oneramus. Verum ſi alterutrum ex his defecerit, aut vltra præſcriptas vices mutua conſuetudine vti quoquo modo præſumpſerint, pæna ſcutorum viginti mulctabuntur. Parochi autem, qui huiuſmodi contrauenientes Nobis denunciare neglexerint ſeuerè pariter atque ipſa à Diuinis ſuſpenſione punientur. Demum ſi, quod damnabilius eſt, Sponſi, vt ſupra ante Matrimonij celebrationem rem ſimul habuerint, in pænam ſcutorum quinquaginta, & ad detinendam pro foribus Eccleſiæ accenſam manibus candelam, donec Miſſarum agantur ſolemnia, condemnabuntur. Mandamus proinde Parochis, vt ſæpius Populo cum opportunum duxerint, ac præſertim ſi ſponſalium contractibus

quandoque interfuerint præſentis noſtri decreti diſpoſitionem modeſtè, ac prudenter inſinuent.

Licet in Matrimonio libertas requiratur, nihilominus filios familias Parochi hortentur, vt ad nuptias celebrandas minimè feſtinent inconſultis parentibus; æquum enim eſt aſſenſum eorum in hoc ſpirituali vinculo inquirere, qui filios ad bonum promouere procul dubio ſemper intendunt.

Si aliquando Coniuges abſque legitima cauſa à Sacris Canonibus permiſſa, atque Eccleſiæ iudicio probata à communi cohabitatione diſceſſerint, ac maritalem conuictum recuſauerint, ſedulò Parochi ſtudeant, vel per ſe ipſos, vel aliorum opera, vt ad priſtinam vitæ ſocietatem reuertantur, & niſi profecerint, rem ad nos deferant, vt opportunis reme-

dijs, eorum, qui ſic fidem, & coniugia maculant, damnabilem contumaciam compeſcamus.

CAPVT XVI.

De Horis Canonicis.

PRæfectus Chori ſeduló det operam, vt non cursim, nec oſcitanter, ſed deuotè, grauiter, ac diſtinctè Pſalmodia peragatur; omneſque in Choro piè, ac religioſe verſentur. Punctator autem eos omnes, & ſingulos notet, qui diuinis Officijs non interſuerint vel qui priuatim Officium recitauerint, quiue colloquendo, vagando, aut riſum commouendo minus modeſtè quàm par eſt coram Deo ſe geſſerint:

Nemini Capitularium, vel Cappellanorum, dum Diuina perſoluun-

tur

tur officia, liceat à Choro diſcedere abſque eiuſdem Chori Præfecti licentia, qui ſi illam duobus conceſſerit, nequeat concedere tertio, niſi vnus ex ijs duobus ad Chorum reuerſus fuerit.

Nullus itidem Capitularis, ſiue Cappellanus in diebus in quibus ad ſeruitium Chori tenetur, alium Capitularem, ſiuè Cappellanum in ſui ſupplementum ſubſtituere valeat vltro duos dies, ſiuè continuos, ſiuè interruptos in qualibet hebdomada. Subſtitutio autèm vlteriùs facta non attendatur.

Sciant qui ad ſeruitium Chori tenentur, eis non licere vltrà ſpatium trium menſium ſiuè continuum, ſiue interruptum, & abſque noſtra licentia anno quolibet abeſſe. Qui verò id tempus etiam interruptum exceſſerint, pro trimeſtri à Sacro Concilio

Tri-

Tridentino præfinito punctantur ijs tantum diebus in quibus ad seruitium Chori erant adstricti, deinde veró punctentur singulis diebus, etiam si absint de licentia Sacræ Congregationis Concilij, per quam fructuum, non distributionum perceptio permittitur.

Quia in Ecclesijs Collegiatis Oppidorum Barbarani, & Bledæ nostræ Diœcesis, in quibus dumtaxat diebus Dominicis, & festiuis de præcepto seruitium Chori præstatur; nullæ ab absentibus soluuntur mulctæ pecuniariæ quas punctationes vocant; quà propter nonnulli ex Canonicis Chori seruitium negligunt, statuimus id circò vt absentes à Choro in seruitio matutino punctentur in medietate iulij, similemque mulctam subeant absentes in seruitio Vespertino. In festis verò solemnioribus, siue Prioralibus

mul-

mulcta in duplum persoluatur. Munus itaque Punctatoris inter ipsos Capitulares singulis hebdomadis distribuendum instituatur incipiendo ab Archipresbytero, & prosequendo inter Canonicos iuxta eorum præcedentiam; atquè in libro ad id comparato. Punctator absentes, ac debitam in Choro modestiam vt supra non seruantes, vel muneri suo non satisfacientes diligenter notet. Quolibet autem semestri punctationes supputentur; & à debitoribus persoluantur prout agitur à Capitulis nostrarum Ciuitatum.

CAPVT XVII.

De Congregationibus Casuum Conscientiæ.

PIÆ, ac salutari casuum conscientiæ collationi Clerici quicumque cuiusuis Ordinis, & Dignitatis fuerint ipsi quoque Canonici, & maximè curam animarum administrantes ea qua decet attentione atque frequentia interesse studeant sub pœna iuliorum quinque pro qualibet contrauentione, si absque causa legitima, seu licentia Vicarij nostri Generalis interesse neglexerint. Parochi vero, & Confessarij quicunque si per tres vices continuas absque causas, vel licentia vt supra non intererint præter pecuniarias pœnas incurrant

ipſo facto ſuſpenſionem ab exercitio Sacramenti pœnitentiæ.

Antequam ad enunciatas caſuum collationes deueniatur volumus, vt ab aliquo ex Clericis à Canonico Theologo in Ciuitate, & in Diœceſi abearundem collationum Præſidentibus deputando, aliquod præſentium Synodalium ſanctionum caput alta voce coram aſtantibus perlegatur, quatenus eas facilius percipere, memoria retinere, & exequutioni, prò vt ſperamus, demandare valeant.

CAPVT XVIII.

De Proceſſionibus.

NOuas, & extraordinarias proceſſiones, vel ſupplicationes nemo, ſiue Sæcularis, ſiue Regularis, niſi

nisi nostra prius impetrata facultate indicere, ac per publicas vias habere audeat sub pœnis arbitrio nostro irrogandis.

Quoties verò ex more Ecclesiæ processiones fient, vti in Litanijs maioribus, in Rogationibus, & in Festo Sanctissimi Corporis Christi, eis intersint Clerici omnes, tam in minoribus, quam in maiorum ordinum gradibus constituti; ijdemque teneantur etiam interesse alijs extraordinarijs processionibus, quæ pro bono publico, aut alia emergenti necessitate indicuntur, sub pœnis arbitrio nostro irrogandis.

Missæ, quæ concini solet post processionem in Litanijs maioribus, ac in Rogationibus, assistere tenentur Capitulares omnes, & Cappellani Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum; absentes verò vel non assisten-

tes punctandi erunt pro vt consuetum hactenus fuit. Volumus autem quod etiam Parochi præfatæ Missæ assistere teneantur sub pœna iuliorum trium pro ipsorum quolibet absente, vel non assistente nisi absuerit ex causa à Nobis, vel Vicario Generali Nostro approbanda.

Non liceat sodalibus Confraternitatum in ipso actu, vel ante, vel post processionem ingredi cauponas, vel tabernas cum saccis, & indumentis peculiaribus quibus in ipsis processionibus vestiri sodales, & Confratres consuescunt sub pœna carceris, & vnius aurei pro quolibet contraueniente.

Cum in Festis Paschalibus letitiæ non publicæ pœnitentiæ signa sint exhibenda; ideò Officialibus Confraternitatis Sanctæ Mariæ Magdalenæ Ciuitatis Viterbij prohibemus nè in pro-

cesſione quam in ſecundo Paſchatis Feſto cum alijs Confraternitatibus ineunt ad Templum Beatæ Mariæ de Quercu vllos pœnitentes ducant, qui nudata terga ſibi flagris percutiunt ſub pœnis arbitrio Noſtro irrogandis.

CAPVT XIX.

De Officio Parochi.

PArochi omnes Concilium Tridentinum, Cathechiſmum, Rituale Romanum, & ſummam aliquam caſuum Conſcientiæ apud ſe ſemper retineant, & aſsiduo ſtudio reuoluant, vt ità ad propria munera ritè obeunda pleniſsimè inſtruantur. Et hosquidem libros in Viſitatione Nobis, ſeu Viſitatoribus noſtris immò ad ſimplicem Noſtram, vel Vicarij Genera-

nera-

neralis Nostri requisitionem exhibere teneantur sub pœna duorum aureorum locis Pijs applicandorum, si illis, vel illorum aliquo carere quandoque depræhensi fuerint.

Infirmis, & in extremo vitæ discrimine constitutis quam diutissime assistant eisque omnia debitæ pietatis Officia assiduè conferant non contenti solum ijs sola Sacramenta administrare.

In singulis Parochialibus vbi ad præsens non adest, Archiuium erigatur, seu saltem conueniens Armariolum, sera, & claui munitum ad hunc dumtaxat vsum seligatur, ibique Libri, scripturæ, inuentaria, & publica instrumenta continentia redditus, bona, concessiones, aliaque iura ad Ecclesiam quomodolibet spectantia diligentissimè, ac distinctè custodiantur. Similiter authentica Reliquiarum

documenta, onera, ſatisfactiones, indulgentiarum diplomata, ac Viſitationum decreta ibidem retineantur. Præcipuè verò Parochiales Codices, tùm antiqui, tùm recentes, nimirùm Baptizatorum, Confirmatorum, Matrimonia contrahentium, Mortuorum, ac Status Animarum diligenti cura aſſeruentur.

Admoneant frequenter Parochi Parentes, Patrinos, propinquos, Tutores, Curatores, & quoſcumque alios, quibus puerorum cura commiſſa eſt, vt eos omni ſtudio Chriſtiana Doctrina informari curent, & pro addiſcendis fidei rudimentis ad Eccleſias Statutis diebus mittant. Ipſique diligentiſsimi ſint in hoc inſtruendi pueros munere tam neceſſario ſingulis diebus Dominicis. Si quis autem ex Parochis abſque legitima cauſa per duas vices Doctrinam Chriſtianam Statutis

tis diebus docere omiſerit pœnam ſolutionis decem ſcutorum incurret, ſi verò vltra tres vices, pœnam ſuſpenſionis à diuinis ipſo facto, Nobis, vel Vicario Generali noſtro reſeruatam.

Deſcribant etiam Parochi in tabella omnes tam mares, quam Fœminas ſuæ Parochiæ, quibus opus eſt Chriſtianam Doctrinam addiſcere, ac ſimiliter Nomina, & Cognomina Parentum adſcribant, ad hoc vt poſsint eos acritèr arguere, qui accedere recuſant; & ſi poſt factam repræhenſionem in contumacia non accedendi perſtiterint, Parochi puerorum contumacium, eorumque Parentum nomina Nobis, vel Vicario Generali noſtro referant.

Bis ſaltem in anno Parochi inter Miſſarum ſolemnia Populo exponant vulgari Sermone Conſtitùtionem Sacri Concilij Lateranenſis ſub Leone X. contra blaſphemantes editam,

& contentam in Bulla Beati Pij V. quæ incipit Supernæ.

Quotiescumque Parochi requisiti fuerint de Fide Baptismi, seù obitus, seu Matrimonij alicuius, ne detur occasio vitiandi huiusmodi fides cum alteratione diei, vel anni in graue aliorum præiudicium, prout non semel hactenus accidisse comperimus, expresse mandamus, vt Parochi in extrahendo partitas ex eorum Libris diem, & annum extensis litteris, non autem per figuras, seu notas arithmeticas, vulgò abaco conscribant, sub pœna trium aureorum.

Singulis annis, quadragesimali tempore, Statum Animarum describant in eoque nominum, & sexus specificationem exprimant; cuius transumptum propria subscriptione munitum ad Nostrum Vicarium Generalem infra Octauam Paschatis transmittant,

ab eodem in Episcopali Archiuio reponendum.

Extraneos à nostra Diœcesi ad Ecclesiarum Parochialium concursum admitti nolumus, nisi à proprio Ordinario de vitæ integritate, & probatorum morum consuetudine testimonium reportauerint, ac Nobis exhibuerint.

CAPVT XX.

De Vita, & honestate Clericorum.

QVia Ecclesiastici interiore cordis affectu Christum induti, exteriore quoque corporis cultu conspicui esse debent, id circò Clerici in prima Tonsura, vel in Minoribus Ordinibus constituti habitum, & Tonsuram Clericalem gestent, & Eccle-

Ecclesijs quibus sunt adscripti diligenter inseruiant. In Sacris verò existentes talari habitu semper incedant, sub pœna carceris, & scutorum decem pro qualibet contrauentione. Tam in minoribus, quam in Sacris constituti tabernas, nisi itineris necessitate compulsi, sub eadem pœna non ingrediantur.

Et cum per Sacros Canones prohibitum districtè sit Ecclesiasticis, secum in eadem habitatione retinere quascumque mulieres, etiam non suspectas, præter quam vsque ad secundum consanguinitatis, vel affinitatis gradum coniunctas, nempe Matres, Auias, Sorores, Materteras, Amitas, Fratrum, & Sororum filias, & filiorum vxores; propterea edicimus ne vllam mulierem, sub quouis etiam ancillæ seu famulæ nomine, licet honestæ famæ, & quinquaginaria maio-

rem, ſine noſtra, vel Vicarij noſtri Generalis licentia ſub grauiſſimis pœnis Domi ſecum habere præſumant.

In cauſis Criminalibus in Foro ſæculari nullum ferant teſtimonium ſub pœna ſcutorum quinquaginta, & ſuſpenſionis. In ciuilibus verò non niſi cum licentia Noſtri Vicarij Generalis examinari permittantur, ac præſtito prius iuramento in Curia noſtra Epiſcopali, vel in manibus perſonæ Eccleſiaſticæ; quæ licentia ſcribatur à Vicario in pede articulorum, ſuper quibus eſt deducendum examen. Qui autem abſque huiuſmodi licentia examen ſubire auſus fuerit pœna ſcutorum vigintiquinque mulctetur.

Abſque Noſtra, vel Vicarij Generalis Noſtri licentia à Diœceſi non recedant, nec etiam deuotionis gratia peregrinari præſumant.

Adueniente Feſto Sancti Titularis ſingu-

ſingularum Eccleſiarum Parochialium, conſtituti in minoribus Ordinibus, vel prima ſolúm Tonſura initiati, ſub ea degentes Parochia in cuius Eccleſia celebratur Feſtum Sancti Titularis, teneantur eà die ſuo Parocho famulari in Eccleſiaſticis miniſterijs, illique Officia prò Eccleſiæ cultu neceſſaria præſtare ſub pœna vnius aurei eiuſdem Eccleſiæ Sacriſtiæ applicandi.

Per vias publicas nemo in Sacris Ordinibus conſtitutus, quouis ludi generis, etiam non vetiti ludere præſumat ſub pœna carceris, & ſcutorum quinque. Et nemo etiam in minoribus conſtitutus in theatris abſquè noſtra licentia recitare audeat ſub eadem pœna.

Omnibus tàm in Maioribus, quàm in minoribus Ordinibus conſtitutis prohibemus in alio quam in noſtro

Foro

Foro, etiam contra laicos, causas agere, sub pœna scutorum decem.

Si quis ex prædictis laruatus incesserit, etiam si nocturno tempore, quiue choræas miscuerit, vel duxerit, vel pulsando sonorum aliquod Instrumentum illis intererit, excommunicationem Nobis reseruatam ipso facto incurrat, & pœnam scutorum vigintiquinque subeat.

Canonici ædes suas Canonicales Laicis ne locent commodentue sub pœna scutorum decem. Hoc autem, quod de Canonicalibus præscriptum est, de quibusuis Ecclesiarum ædibus ipsis proximis, siue contiguis eadem proposita pœna cautum esse decernimus.

CA-

CAPVT XXI.

De Vicarijs Foraneis.

VIcarij Foranei probatæ vitæ exemplo alijs præfulgere, & graui prudentique regimine in ſuo quiſque Vicariatu præſidere debent, atque inuigilare circa vitam, & mores Clericorum, & circa Eccleſias earumque Altaria, & Sacriſtias indeſinenter diſpiciendo, an decenter cuſtodiantur, an reparatione egeant, an cultus Diuinus, horæque Canonicæ ad præſcriptum ibidem peragantur. Rurſus an in Populo concubinatus, vſuræ, aliaque publica ſcelera committantur; an ſortilegia, incantationes, veneficia, & id genus alia irrepſerint. Omniaque, & ſingulos, quæ Nos, vel ex debito Paſtoralis Officij,

vel ex charitate Christiana in subditorum nostrorum auxilium præstare valemus, Nobis significare non prætermittant.

In causis Ciuilibus ad Ecclesiasticum Forum spectantibus facultatem cognoscendi, & iudicandi vsque ad summam trium dumtaxat scutorum eis impartimur, non autem interponendi decreta in contractibus minorum, ac mulierum.

In criminalibus verò, siue mere Ecclesiasticis, siue mixti Fori, tam ad instantiam partis, quam ex officio, querelas, informationes, & examina testium, etiam contra Laicos recipiant, & ad Vicarium Nostrum Generalem transmittant. Quod si mundano aliquo affectu dissimulando, vel excusando persequi, ac ad præfatum Vicarium Generalem deferre omiserint, Deo, Nobisque grauem facti

sui

ſui rationem ſe reddituros nouerint.

Immunitatem Eccleſiaſticam pro viribus defendant, cauſaſque ad noſtrum Forum ſpectantes à Iudicibus Laicis occupari non permittant, & vbi aliqua adhibeatur violentia ſtatim Nos moneant; iuridicos proceſſus interim de omnibus conficientes.

Ad Feſtorum obſeruationes diligenter intendant. Quotiès autem dant alicui facultatem operandi diebus Feſtis; id diſcretè, ac prudenter agant; & ſolum cum vrget neceſſitas; in quo ipſorum conſcientiam oneramus. Prò facultatibus autem prædictis nihil omninò recipiant, nihilque à tranſgreſſoribus; nam ſi aliquid, vel minimum acceperint, ad hoc, vt eos nobis non denuncient, duplo punientur.

CAPVT XXII.

De Funeribus, & Sepulturis.

QVia Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, cum aliquis in Fidelium communione decesserit, statim Parochus exhiberi curet signum obitus illius sono Campanæ, quem audientes Fideles, pro anima defuncti præces ad Deum fundere valeant, & humanæ mortalitatis memores reddantur, atque innocentem vitam ducere, vel præuaricantem emendare satagant. At si obitus contigerit post primam noctis horam differatur sonus ad sequentem diem.

Ante Solis ortum, aut post eius occasum cadauera ad Sepulturam non deffe-

defferantur ſine noſtra, vel Vicarij Generalis noſtri licentia, & niſi ad minus duodecima ab obitu elapſa hora, ac vigeſima quarta quò ad illos qui repentina morte deceſſerint.

Sub prætextu non ſolutæ elæmoſinæ funeralis, non audeant Parochi ſepulturam differre. Egenorum autem, ac miſerabilium perſonarum cadauera gratis ſepeliantur, adhibitis ſaltem duobus luminaribus, ſumptibus Parochi, niſi ab aliqua pia ſodalitate huiuſmodi Chriſtianæ pietatis Officium conſueuerit exerceri.

Noua ſepulcra pro defunctis humandis extruere, vel Eccleſiarum pauimenta excauare ſine noſtra licentia nemini liceat ſub pœna ſcutorum viginti.

Viam per quam defunctus deferri debeat Parochus declaret eiuſque declarationi omnes acquieſcant, & pareant.

Maiorem eleæmosinam nè recipiant Parochi prò sepultura forensium, vel exterorum, quàm Ciuium, aut incolarum iuxtà Decretum Sacræ Congregationis Concilij editum die 27. Maij 1617. & relatum *à Lauorio variar. lucubrat. tit. 2. cap. 10. num. 7. & à Barbosa de iure Ecclesiast. vniuer. lib. 2. cap. 10. num. 83.*

Ex eiusdem Sacræ Congregationis Decretis sancitum est aduenas, viatores, ac peregrinos in quacumque Ciuitatis Parochia defunctos tumulandos esse in Ecclesia Cathedrali. Sed quia inter Parochum Cathedralis nostræ Viterbiensis, ceterosque animarum Curatores oritur persæpè contentio, quis propriè censendus sit viator, seù peregrinus, id circò ad omnem altercationis ansam remouendam, decernimus omnes aduenas intrá mensem suæ moræ in Ciuitate de-

cedentes, esse in Cathedrali Ecclesia sepeliendos, eisdemque à Parocho, vel Vicecurato Cathedralis administranda Sacramenta. Quod si aduena ægrotus in proximo mortis periculo ità sit constitutus, vt Parochum, vel Vicecuratum Cathedralis requirendi tempus non adsit, quicunque alius Parochus ad id admonitus administrare Sacramenta teneatur, sine tamen præiudicio iurium funeris, & sepulturæ Cathedrali Ecclesiæ competentium, ità tamèn vt Parocho qui in eo casu Sacramenta administrauit compensetur labor arbitrio nostro, vel nostri Vicarij Generalis eos tamen aduenas ab hoc Decreto excipimus, qui Domum ad incolendum in Ciuitate conduxerint, vel causa studij in Ciuium Domibus se receperint; Hos enim quamuis intra primum mensem sui incolatus obire contigerit in Paro-

chiali

chiali Ecclesia sub qua decesserunt, tumulandos, eisque ab eiusdem Ecclesiæ Parocho Sacramenta administranda sancimus.

Caueant Parochi, omnesque Ecclesiastici tam Sæculares, quam Regulares nè aliquem inducant sub iuramento, voto vel promissione ad eligendam sepulturam in proprijs Ecclesiij, vel ad iàm electam immutandam; quia id prohibitum est sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ Summo Pontifici reseruatæ *in cap.* 1. *de sepultur. in* 6. Et quia secundum plures Doctores, electio sepulturæ facta ad suggestionem inualida reputatur, Parochis omnibusque Ecclesiasticis sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ prohibemus, ne per se, vel per alios vllis verbis alicui suadeant, vt in proprijs Ecclesijs sepulturam eligant.

Ele-

Electionem autem ſepulturæ probandam eſſe decernimus, vel per ſcripturam authenticam, vel per duos teſtes qui non ſint de familia eligentis, neque illius conſanguinei, vel affines vſque ad quartum gradum incluſiuè, nec inſeruiant Eccleſiæ in qua fuit electa ſepultura.

CAPVT XXIII.

De Bonis Eccleſiaſticis Piorumque Locorum.

QVO Religioſius, ac diligentius Diuino cultui charitatiſque operibus conſecrata cuſtodiantur, mandamus omnibus Dignitatibus, Canonicis, Capitulis, Parochis, Beneficiatis, & Clericis beneficia quæcunque in Diœceſi noſtra poſſidentibus, atque Adminiſtratoribus Piorum

Loco-

Locorum, vt intra duos menses conficiant Inuentarium bonorum stabilium reddituum, Canonum, Censuum, ac iurium Ecclesiasticorum ad eorum Ecclesias, Capitula, Præbendas, Beneficia, & loca pia pertinentium, specificatis locis, seù contradis, vbi bona sunt sita, eorumque hodiernis confinibus, Debitoribus, fideiussoribus, anno, die, ac rogitu Notarij, atque annuo bonorum redditu; Quod Inuentarium Nobis vel Vicario Generali nostro tradant, in Cançellaria nostra conseruandum, sub pœna scutorum trium. Ex quibus Inuentarijs Generale Catastum omnium bonorum ad quaslibet Ecclesias, & loca pia huiusce nostræ Diœcesis pertinentium compilari curabimus.

Bona Ecclesiarum, locorumue Piorum non locentur vicinis, ne ipsis propriorum agrorum fines cum Eccle-

siæ, locorumuè Piorum iniuria, proferendl occasio præbeatur, & si quando necessitas, vel vtilitas vrgeat, tunc, vt sacra iura in tuto sint, huiusmodi locationum documenta per Notarium publicum, cum exacta mensuræ ac confinium prædij ab omni latere descriptione, id quod in omni quidem casu, sed præcipuè isto, & cum bona dantur quibuscumque in Emphiteusim, cautè conficiantur. Propinquis pariter, atque affinibus vsque ad tertium gradum inclusiuè Rectorum, Administratorum, vel Patronorum, ne dum ipsis, præfatæ locationes, & signanter concessiones in Emphiteusim, nisi Ecclesijs locisue Pijs aliter expedire iudicauerimus, nulla ratione, nec per supposita nomina sub pœna nullitatis contractuum, alijsque ad arbitrium, fieri mandamus.

In his autem Emphiteuticis contractibus, ne temporis diuturnitate Ecclesiarum, locorumque Piorum iura obscurentur, ea apponatur conditio vt vigesimo quoque anno, etiam si primus adhuc viuat Emphiteuta, sub pœna caducitatis, publico instrumento renouentur, cum expressione nominis, situs, quantitatis, & confinium prædij, vt eius identitas, ac fines nunquam in controuersiis venire possint.

Census verò constitui non permittimus, nisi qui pecunias ad censum voluerit recipere, idoneam præstiterit fideiussionem, in euentum deteriorationis conditionis, vel mortis renouandam. Aliter contrahentes non modo ad damna, expensas, & inteesse teneri volumus, sed alijs pœnis etiam arbitrio nostro plectentur.

Quæcumque pecuniarum summæ

Ecclesijs, Beneficijs, Cappellanijs, aut locis Pijs ex quouis relicto, censu extincto, alioue cuiuscumque generis contractu prouenientes, cum onere reinuestiendi, non breui manu Rectoribus, Beneficiatis, Cappellanis, vel Administratoribus tradantur, sed in Monte Pietatis deponantur exhibita cedula in actis nostræ Cancellariæ. In locis verò Diœcesis, vbi non adest Mons Pietatis, deponantur pænes idoneam personam à Vicario Foraneo loci approbandam. Rectores autem, Beneficati, Cappellani, vel Administratores, qui pecunias vt supra prouenientes breui manu recipere ausi fuerint, ipso facto excommunicationem absolutione Nobis reseruata incurrant.

Reinuestimenta pecuniarum non fiant nisi Nostro, vel Nostri Vicarij Generalis præcedente assensu, & non

 nisi

nisi in stabilibus fructiferis, locis Montium, aut censibus tutis, & exigibilibus; cum idonea cautione alijsque cautelis ad formam Bullæ B. Pij V.

Bona Ecclesiarum, & Piorum locorum ex præscripto Sacrorum Canonum nullatenus distrahantur, permutentur, vel vltra triennium locentur. Bonorum autem appellatione veniunt stabilia, arbores fructiferæ, mobilia prætiosa, & sese mouentia, Piorum verò locorum nomine Confraternitates etiam veniunt; Episcopi auctoritate erectæ.

CAPVT XXIV.

De Decimis.

DEcimas, quæ de prædijs noſtræ Ciuitatis Viterbienſis debentur Parochis, & Curatis, nè inpoſterum eas ſoluere debentes vllo poſſint ſubterfugio ſe tueri in graue præiudicium, & Dei Miniſtrorum, & propriarum Parochianorum animarum; decernimus tempore ſtatuto, quo huiuſmodi decimas conſuetum eſt perſolui, infra trium dierum terminum, quorum primum pro primo, ſecundum pro ſecundo, tertium pro tertio, & vltimo perēptorio termino aſſigna mus trina canonica monitione præmiſſa verè, & effectiuè per eos, ad quos ſpectat, proprijs eorum Parochis,

&

& Curatis persolui debere sub pœna excommunicationis, ad cuius incursionis declarationem statim elapso termino prædicto deuenietur.

Et ad tollendas controuersias per Dominos prædiorum excitari solitas, declaramus, quod prædia sint Decimis obnoxia, quamuis Domus rurales in eis existentes non habitentur à Villicis, seù Colonis, dummodò tamen habitabiles sint, & Parochus pro Decimarũ cõsequutione habeat actionem tàm contra Decimas prædiorum, quàm contra Villicos, seù Colonos.

CAPVT XXV.

De Monialibus.

VT debitam, quantum in Nobis eſt diligentiam adhibeamus, vt puellæ, quæ in Sanctimonialium Monaſterijs ad ſuſcipiendùm Religionis iugum admittuntur, ſiuè regularem profeſſionem emittunt, liberè, & voluntariè id præſtent, & neque à Conſanguineis, neque ab alijs quibuſcumque, vel importunis precibus, aut minis, ſiuè metu incuſſo compellantur, ad omnium notitiam deducimus excommunicationem ipſo facto incurrendam à Sacro Tridentino Concilio latam contra omnes, & ſingulas perſonas cuiuſcumque conditionis, vel qualitatis, tàm Clericos, quàm Laicos

cos, Sęculares, vel Regulares, & qualibet dignitate fulgentes, si quomodocumque aliquam virginem, & viduam, aut aliam quamcumque Mulierem inuitam coegerint ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum Religionis, vel ad emittendam professionem, præter in casibus in iure expressis; quique consilium, auxilium, vel fauorem dederint; & insuper scientes eam non spontè ingredi Monasterium, aut professionem emittere, quoquomodo eidem actui pręsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint.

Iuxta pręceptum alias emanatum per litteras S. Congregationis Episcoporum, & Regularium, pueri, seù infantes quantumuis minimæ ætatis, ac etiamsi lactentes non introducantur intra claustra Monialium sub pœna suspensionis Abbatissę, & Monialium

lium introducentium ab officio, & vocis actiuæ, & passiuę.

Dum in Ecclesijs Monialium Missæ, vel Diuina Officia celebrantur, nullus habeatur cantus italico sermone sub eadem pœna suspensionis.

In collocutorio nemo canere, seù sonora instrumenta pulsare audeat sub pœna arbitrio Nostro reseruata.

Non liceat Abbatissæ, nec Monialibus expendere Nobis inconsultis Dotes Monialium, tàm intra numerum receptarum sub pœna suspensionis vt supra.

De pecunijs Monasterij, vel Monialium particularium, Abbatissa, vel aliæ inferiores Ministræ nequeant anno quolibet expendere in sumptibus extraordinarijs vltra summam scutorum decem, etiam pro seruitio Monasterij, seù Ecclesiæ, vel Sacristiæ, nisi prius habita consultatione

cum Monialibus ſenioribus, & obtenta à Nobis, vel Vicario Generali Noſtro licentia ſub pœna arbitrio Noſtro reſeruata.

Caueant Abbatiſſa, & Moniales quæcunque, nè quietantiam, vel atteſtationem vllam faciant, in qua declarent ſe recepiſſe ſummam aliquam pecuniæ nè quidem minimam nomine Monaſterij aut proprio, niſi verè, & realitèr illam receperint ſub pœna priuationis vocis actiuę, & paſſiuę necnō excommunicationis arbitrio noſtro reſeruata.

Abbatiſſæ, Depoſitariæ, ſeù Procuratrici Monaſterij expreſsè prohibemus mutuas dare extra Monaſterium quaſcumq; pecuniarum ſummas.

Depoſitaria, Syndica, ſeù Procuratrix teneatur quolibet ſemeſtri rationem reddere ſuæ adminiſtrationis coram Deputato, & Confeſſario at-

que.

que Abbatissa Monasterij; Et oneramus Confessarium, ac Deputatum ad referendum Nobis quidquid compererint circa malam administrationem sub pœna priuationis Officij.

CAPVT XXVI.

De Confraternitatibus Laicorum.

Confraternitatum munera, & Officia vltra annum nè protrahantur, neque Officialis possit confirmari pro secundo anno nisi de licentia nostra, sed transacto anno, rationem reddat Syndicis ad id deputatis.

Pueri ante decimumquintum annum absque nostra licentia in Confratres nè recipiantur. Qui verò in Priores, & Officiales erunt eligendi, sint Viri pietate, & diligentia cæteris præstantes, & non minores vigintiqua-

tuor annis ſub pœna nullitatis electionis. Vtque in deputandis Depoſitarijs, Camerarijs, Exactoribus, & ſimilibus, ſub quorum fide pecunia Eccleſiaſtica exigenda datur cautè procedatur, declaramus, ab eligentibus ex proprio reſarciendum eſſe quidquid damni loco Pio ex mala electione obuenerit, & ſummariè ad id compellendos eſſe conſtituimus.

In Confraternitatum Eccleſijs, vel Oratorijs Miſſa in ferijs quinta, ſexta, & Sabato Sancto maioris hebdomadæ nullatenùs celebretur ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto à celebrante incurrenda; Candelarum verò Palmarum, Ouorum benedictiones fieri permittimus in Oratorio pro Confratribus tantùm, non autem in Eccleſia Confraternitatis.

In ſoluendis Dotibus pauperibus, & honeſtis puellis promiſſis à Confra-

ternitatibus, alijſque Pijs locis noſtrarum Ciuitatum, & Diœceſis ſeruetur ordo prioritatis contracti Matrimonij, nempè gradatim ſoluantur illi, quæ Prior nuptui tradita fuit; habita à pro-proprio Parocho fide; & ſecus facientes Rectores, Officialês, vel Miniſtros Piorum locorum de proprio Dotes ſoluiſſe iudicandos eſſe volumus in raddenda ratione eorum adminiſtrationis.

CAPVT XXVII.

De Contributione Seminario facienda.

CVm in executionem Decreti Sacroſancti Concilij Tridentini Prædeceſſores noſtri Seminarium Clericorum erexerint, & ad Alumnorum ſuſten-

ſuſtentationem omnia Diœceſis beneficia pro cògrua contributione taxauerint; Nonnullis verò ab hinc annis multa beneficia ex Piorum diſpoſitionibus erecta nouitèr fuerint, iſta quoque per Seminarij Deputatos ad conſuetam rationem taxari mandamus, illorumque poſſeſſores ad ſolutionem taxatæ portionis compelli. Quia verò in exigenda taxa oritur perſæpè confuſio ex cauſa obitus Beneficiatorum; obit enim exempli gratia menſe Maio aliquis Beneficiatus cuius ſucceſſor adueniente ſolutionis tempore in feſto Sancti Michaelis Archangeli die 29. Septembris renuit ſoluere præſcriptam taxam aſſerendo nullos, vel admodum paucos percepiſſe fructus ex beneficio ante duos, vel tres menſes adepto; Vndè fit vt Seminarium ferè ſemper amittat eo anno contributionem ad quam beneficium

ficium illud taxatum fuit, idcircò pro indemnitate Seminarij statuimus, vt fructus cuiuscumque beneficij sint, & esse debeant obnoxij, ac obligati pro solutione taxæ, quamuis per Antecessorem non solutæ, itaut successor in beneficio licet illius possessionem acceperit die 28. Septembris teneatur die sequenti ad solutionem integrę taxæ pro vno vel pluribus annis non solutæ, possitque Seminarium apponere sequestrum super fructibus beneficij, Habeat tamen successor ius repetendi summam solutam contra hæredes sui Antecessoris, si ille integros fructus perceperit, vel pro rata fructuum perceptorum; itaut si partim ab Antecessore, & partim ab aliquo Capitulo prætextu Massę communis tempore vacationis beneficij, percepti fuerint fructus, habeat successor pro rata regressum contra eos omnes,

nes, qui illius anni fructus perceperunt.

CAPVT XXVIII.

De Monte Pietatis.

IN Officiales; & Administratores Montis Pietatis Viri probitate Christiana prædicti singulis annis eligantur, vt pietatis subsidium, quod Deus Pauperibus præparauit, indigentibus super pignora mutuo partiantur.

Leges, & Statuta de Officialibus creandis, de Monte conseruando, & regendo à claræ memoriæ Cardinali Odoardo Farnesio edita omninó seruentur sub pœnis in illis contentis, & alijs arbitrio nostro. Et ne Officiales, vel Administratores de prædictis constitutionibus ignorantiam præsumere pos-

poſſint, antequàm ad Montis admi-niſtrationem admittantur de verbo ad verbum legantur à notario qui in-ſtrumentum poſſeſſionis, & conſigna-tionis conficit; ipſique Officiales tactis ſcripturis de Conſtitutionibus ſeruan-dis iuramentum præſtent. Iurare au-tem renuentes ad Officium exercen-dum nullatenus admittantur.

Montium Pietatis Adminiſtrato-res conuertentes ſine licentia Sedis Apoſtolicæ ipſorum Montium pecu-nias in alios vſus, quam in eorum ere-ctione præſcriptum eſt, excommuni-cationis latæ ſententiæ pœnam Ro-mano Pontifici reſeruatæ incurrunt vt ex Conſtitutione felicis recordatio-nis Pauli Quinti, quæ incipit Onero-ſa paſtoralis Officij cura, edita an-no 1615.

In eandem excommunicationis latę ſententiæ pœnam Nobis illius abſolu-

tione reſeruata incurrere eos volumus, qui bona in cuſtodia eiuſdem Montis exiſtentia auferunt, vel ea in deterius permutant.

In cubiculis, & manſionibus Montis Pietatis, commeſſationes, & conuiuia quæcumque fieri prohibemus ſub pœna priuationis Officij.

CAPVT XXIX.

De Ludi Magiſtris.

QVIA plurimum ad pueros Chriſtianis rudimentis, & pijs moribus imbuendos Ludimagiſtrorum pietas, ac diligentia iuuare poteſt, id ipſi ex Concilij Lateranenſis Decreto prò ſui muneris cura ſedulo preſtent, vt quos litteris inſtruendos ſuſceperint, eoſdem ad Catholicæ fidei Doctrinam informari ſtudeant;

Ac propterea ſemel ſaltem in Hebdomoda Sacris Dogmatibus ſuos Diſcipulos inſtruant, eodemque die aliquam diſputationem eiuſdem Chriſtianæ Doctrinæ ab eiſdem fieri curent aliqua etiam addita declaratione Romani Cathechiſmi, vel maioris Doctrinæ Cardinalis Bellarmini. Strictè inſuper Diſcipulis præcipiant, vt Dominicis, feſtiſque alijs diebus in Eccleſiam Parochialem conueniant, vt Chriſtianæ Religionis inſtituta, atque præcepta poſſint à teneris annis in eorum animis imprimi.

Curabunt etiam, vt qui aliàs ad Sacram Euchariſtiam admiſſi fuerunt, Sacra hac eſca, ſaltem, ſemel intra menſem omnes ſimul deuote ſe reficiant.

CAPVT XXX.

De Foro Episcopali.

NOtarij, & Actuarij Curiæ Ecclesiasticæ se fideliter officium administraturos, ac in actis instrumentis, scripturis, & processibus nunquam veritatem mutaturos iure iurando in sui offitij initio promittant.

Caueant ijdem ne processus originales Partibus, vel Procuratoribus extra Cancellariam asportandos consignent; & si interdum pauperum exigente necessitate ità opportunum erit non nisi de nostri Vicarij Generalis assensu fiat.

Si quis cuiuscumque generis scripturas, vel libros in nostra Cancellaria existentes delere, cumburere, lacerare, vel supprimere audebit excommuni-

cationem Nobis reseruatam ipso facto incurrat. Si quis autem illas ab eadem Cancellaria dolosè extrahere, aut iam ausus fuerit, aut in posterum audebit, nisi intra terminum quindecim dierum, quorum quinque assignantur pro primo termino, alij quinque pro secundo, ceteri pro tertio, & vltimo peremptorio illas restituat excommunicationem vtsupra reseruatam ipso facto pariter incurrat.

Taxam de mandato bo. me. Cardinalis Odoardi Farnesij Legati anno 1609. euulgatam, & in nostris Tribunalibus hactenus obseruatam in vsum prorogamus, & inuiolabilitèr seruari mandamus.

Ne litium prolixitate collitigantes expensis, & incommodis, exteri præsertim, diutius quam par est, defatigentur, Cathalogum dierum in quibus hactenus ius reddi non consueuit

refor-

reformare compellimur. Illum itaque prout ſequitur reformamus, ac in diebus in eo non deſcriptis ius reddi mandamus.

IANVARIVS.

1 Feſtum Circumciſionis Domini cum diebus ſequentibus vſque ad Epiphaniam incluſiuè.
17 Antonij Abbatis.
20 Fabiani, & Sebaſtiani.
25 Conuerſionis Sancti Pauli.
27 Hilarij, & Valentini.

FEBRVARIVS.

2 Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.
3 Blaſij Epiſcopi, & Martyris.
24 Matthiæ Apoſtoli.

MAR-

MARTIVS.

7 Thomæ de Aquino.
12 Gregorij Papæ.
19 Ioſeph Sponſi B. Mariæ.
25 Annunciationis B. Mariæ.

APRILIS.

25 Marci Euangeliſtæ.

MAIVS.

1 Philippi, & Iacobi Apoſtolorum.
3 Inuentionis Sanctæ Crucis.
8 Apparitio Sancti Michaelis Archangeli.
19 Iuonis Pauperum Aduocati.

IVNIVS.

11 Barnabæ Apoſtoli.

Na-

24 Natiuitatis Sancti Ioannis Baptistæ.
29 Petri, & Pauli Apostolorum.

I V L I V S.

2 Visitationis B. Mariæ Virginis.
22 Mariæ Magdalenæ.
25 Iacobi Apostoli Patroni Ecclesiæ Tuscanensis.
26 Annæ Matris B. Mariæ Virginis.

A V G V S T V S.

1 Petri ad Vincula.
4 Dominici Confessoris.
5 Dedicatio Sanctæ Mariæ ad Niues.
6 Transfiguratio Domini, & Sixti Papæ.
8 SS. Secundiani Viriani, & Marcelliani Martirum ex præcepto in Ciuitate Tuscanella.

10 Laurentij Martyris Patroni Ecclesiæ Viterbiensis.
15 Assumptionis Beatæ MARIÆ Virginis.
16 Rocchi Confessoris.
25 Bartholomæi Apostoli.
28 Augustini Episcopi, & Confessoris.
29 Decollationis S. Ioannis Baptistæ.

SEPTEMBER.

4 Rosæ Virginis.
8 Natiuitatis B. Mariæ Virginis.
14 Exaltationis S. Crucis.
21 Matthæi Apostoli.
29 Michaelis Archangeli.
30 Hieronymi Confessoris.

OCTOBER.

4 Francisci Confessoris.
18 Lucæ Euangelistæ.
28 Simonis, & Iudæ Apostolorum.

NOVEMBER.

1 Omnium Sanctorum.
2 Commemorationis Defunctorum.
4 Caroli Episcopi, & Confessoris.
11 Martini Episcopi, & Confessoris.
21 Præsentationis B. Mariæ Virginis.
25 Catherinæ Virginis, & Martyris.
30 Andreæ Apostoli.

DECEMBER.

6 Nicolai Episcopi.
7 Ambrosij Episcopi.
8 Conceptionis Beatæ MARIÆ Virginis.

13 Luciæ Virginis, & Martyris.
21 Thomæ Apoſtoli.
Vigilia Natiuitatis Domini cum reliquis diebus eiuſdem menſis.

DIES CERTI.

Omnes dies Dominici, & Mercurij.

INCERTI, ET MOBILES.

A die Iouis ante carnis priuium vſque ad diem Cinerum incluſiuè.
A Dominica Palmarum vſque ad Dominicam in Albis incluſiuè.
Dies Rogationum.
Dies Aſcenſionis Domini.
Dies Pentecoſtes cum duobus Feſtis immediatè ſequentibus.
Dies Sanctiſſimi Corporis Chriſti.
Dies quindecim propter meſſes à die 24. Iunij, & deinceps.

Dies totidem propter vindemias à die 29. Septembris, & deinceps.

CAPVT XXXI.

De Vsuris.

DEteſtabilis vſurarum lues Diuinis, Canonicis, & Ciuilibus legibus reprobata, quæ in Viduarum, pupillorum, aliorumque miſeria oppreſſorum perniciem exercetur, ſummoperè ab omnibus eſt euitanda.

Nos ideò in huiuſce criminis extirpationem animum intendentes obſecramus in Domino, immò etiam mandamus vt omnes Parochi, confeſſarij, & Concionatores Sacros Canones, Summorum Pontificum Conſtitutiones, probatoſqoe authores ſedulò ſtudio euoluentes ſanam de contractibus Doctrinam apprimè calleant, quam popu-

populis contractus censuum, Societatum, aliosque inire volentibus sequendam proponant; acriterque inuehantur in eos qui per vim, & metum per dolos, ac fraudes in pauperum oppressiones vias Domini rectas subuertunt.

Quoties verò Parochi, aut Confessarij de contractuum æquitate dubitant; Nos quam primum, vt circa illorum validitatem quid sit decernendum præscribamus, consulere non prætermittant.

